PRO
Innata, & connaturali Capacitate RR. DD.
Canon. Reg. Lat. Ordinis S. Augustini
Ad quęcumq; Beneficia Sęcularia

IVRIS INFORMATIO,

VNA
Cum Relatione Causæ Paroch. S. Miniati
actitatæ

CORAM
Illustriss. & Reuerendiss. P. D. Baranzono A. C.
Locumtenente;

AC
In plena Signatura Gratiæ coram Sanctiss. D. N.
Innocentio Decimo Pontifice Maximo,

ET
Ad fauorem eorumdem, determinatæ.



Bononiæ, typis Iacobi Montij. 1670. Superiorum permissu.



Adsit mihi Beatissima Virgo Deipara.

Illustrissimi, ac Reuerendissimi Patres.



Anonici Regulares Lateranenses Ordinis S. Augustini sunt verè, propriè, & naturaliter Clerici ab origine iuxta tradita in *cap. nolo, cap. non dicatis cap. certè cum simil. 12. qu. 1. Io. Andr. & Caldar. in cap. sanè de Reg. ante fin. Ioannes in summa confess. lib. 6. Archid. in cap. mandamus 19. quæst. 3. Diuus Thomas 2. 2. quæst. 189. Artic. 8. & in opusc. 19. cap. 2. ad secundum, & 12. quæst. 1. cap. nemo. Ferrer. in suis allegat. de propr. & vero habit. Canonic. Regul. vbi per septem Conclusiones examplificat, & dictum fuit in relat. causæ Paroch. S. Miniati in §. quæ eo magis*, & alibi, quæ relatio ad præmissorum verificationem in fine præsentis registratur vna cum Sententia lata per Reuerendissimum D. Baranzonum tunc temporis Illustrissimi A. C. Locumtenentem articulo pluries, & maturè discusso tàm coram eodem, quàm in plena Signatura Gratiæ coram Sanctissimo.

Assumptum hoc quod Canonici Regulares Lateranenses sint verè, & naturaliter Clerici ab origine confirmatur ex pluribus, &

Primò, quià, cum Congregatio prædicta sit Congregatio Canonicorum, talis dici non posset, nisi prius Canonici, qui illam constituunt fuissent, & essent Clerici, iuxta vulgarem regulam, quòd quis Canonicus esse non potest, nisi prius Clericetur *cap. 2. de Instit. Mars. Colum. de redit. Eccles. cap. 14. num. 19. par. 1. Barbos. de Canon. cap. 13. nu. 1. Bordon. de Iur. Paroch. innat. Lateranens. nu. 19.*

Secundò, comprobatur ex Textu Bullæ Pij Quarti incipien. *Sedis Apostolicæ* ex illis verbis ibi *eosdemq; Canonicos, tam suæ antiquæ Institutionis huiusmodi, quàm etiam dignitatis Clericalis, qua eos statim quòd professionem Clericalem emittunt insignitos esse oportet*, vbi præter verba præcisa Bullæ indicantia Clericatum Canonicorum Regularium Lateranensium, notandum est verbum illud *oportet*, quod importat necessitatem *Bald. in l. 1. nu. 6. & seqq. de iust. & iur. Coras. in l. humanitatis C. de impub. Rot. penes Burat. decis. 802. num. 4.* vnde patet quòd necesse est, quod per antè sint Clerici, & ex post Canonici.

Tertiò, confirmatur ex §. 4. eiusdem Bullæ ibi *vti Clericos in Linea veste, Clericaliq; habitu incedentes, &c.* quæ linea vestis, & Clericalis habitus cum nihil aliud sit quàm Rochettum, vt declarauit Sacra Congreg. Episcop. sub Clement. VIII. die prima Septembris Anni 1603. & Rochettum sit essentialis habitus dictorũ Canonicorum Lateranensium, vt ex eorum *constit. par. 1. cap. 3. §. est autem in princip.* sequitur etiam dicendum quod ipsi sint Clerici, cum benè ex vestibus, & habitus delatione arguatur dignitatis æqualitas, vt per *Rot. penes Merlin. decis. 607. nu. 13.*, quæ vestium quæstio aspernenda non est, seu Sutoribus relinquenda, vt quondam dictum fuit contra Reuerendissimum Præceptorem Sancti Spiritus in vna Romana præcedentiæ inter eundem, & Reuerendissimum Generalem Ordinis Prædicatorum, teste *Gratian. discept. forens. cap. 845. nu. 50.* sed valdè est attendenda; solida namquè, & vera ratio ea est, quæ desumitur ab habitu ex congestis per *Cassan. in Catalog. Glor. mund. part. 1. consider. 23. & par. 12. consider. 96. Gratian. vbi ante numero eodem, & dictum fuit in relatione*

Eminentissimi, ac Reuerendissimi D. Cardinalis Baptistæ Cicadæ num. 6.

Quartò, comprobatur ex Bullis aliorum Summorum Pontificum, prout ex Bulla Eugenij Quarti incipien. *cum ad Sacratissimum* in Bullario, seù priuil. eiusdem Congregat. fol. 315. vbi habetur quòd Canonici prædicti descendunt a Clericis illis a Sanctis Apostolis institutis, & sunt formalia verba. *Diuus namque Marcus S. Petri discipulus primò in Ecclesia Alexandrina Congregationis, seù Ordinis prædicti fuit institutor, & Conditor, & ex post Gloriosus Augustinus Doctor, & Episcopus diuinis regulis, & Doctrina decorauit, & Sacra Memoriæ Vrbanus insignis Martir, & Sanctissimus Pontifex Generali decreto reformauit*, cui & adstipulantur tradita per alios Summos Pontifices, & scilicet Benedictum XII. in Bulla sexta in Bullar. vbi antè fol. 194. Pium Quartum in sua Bulla incipien. *Sedis Apostolicæ* fol. 531. Pium Quintum in Bulla incipien. *Cum ex ordinum vbi ante* fol. 575. *& dictum fuit in allegata relatione Eminentissimi, ac Reuerendissimi D. Cardinalis Baptistæ Cicadæ*, qui per plures conclusiones optimè probat non solum Clericatum Canonicorum Regularium Lateranensium, verùm etiam, & probat identitatem eorum cum Clericis illis ab Apostolis institutis, vt ibi videre contingit a num. 5. ad 10. & latè probat *Zacherias Ferrerius in suis Allegat. a num. 1. ad 36. Burdon. de Iur. Paroch. innat. Lateran. in 2. Augment. nu. 10. ad 29. Nigraual. in Epilog. Cronic. lib. 3. cap. 18. Gerson. Alphabet 22. l. n. tom. 1. nu. 41.* cum alijs congestis in relatione causæ Paroch. S. Miniati à §. *quæ eo magis ad* §. *eandem Sententiam*; vndè cum res tam euidens sit, frustra crederem in hac materia amplius per alias probationes laborandum.

Ex superius dictis conijcitur quàm fallax sit eorum opinio, qui ex eo quod Canonici Regulares Lateranenses viuant in Monasterijs, eos existimarunt Clericos non esse, cum Diuus Augustinus, & Clericus fuerit, vt clarum est, & tamen cum suis Clericis vixit in Monasterio, vt scribit *Possid. in vita August. nec non idem August. sermone 1. de com. vita Cleric. testatur*, tales namq; licet in Claustris viuant, Clericos semper appellatos fuisse dicit *Textus in Concil. Tarragonen. 15. quæst. 2. cap obseruandum 16. quæst. 1. cap. dicimus 20. quæst. 3. cap. præsens 16. quæst. 1. cap. sunt nonnulli*, quibus in locis purum nomen Clericorum, vel Canonicorum habent, & tamen *Gratian. explicat dictos textus esse intelligendos de Canonicis Regularibus, prout & latè Ferrer. in suis alleg. probat. 2. num. 10.* quinimò ex quo in Claustris viuunt, & in communi, sumit tertium argumentum, ad probandum eorum identitatem cum illis a Diuis Apostolis institutis, *dictus Eminentissimus Cardinalis Cicada in sua relatione sub n. 8.* §. *tertio probatur*.

Firmato igitur, Canonicos Regulares Lateranenses esse essentialiter de per se, & ab origine Clericos, firmandum quoquè venit, eos esse capaces omnium beneficiorum, quorum sunt capaces Clerici Sæculares, non solum quia omnis distinctio inter eos sublata est, nam (vt dixi antea) per se ipsos sunt Clerici *Cenend. quæst. 20. num. 5. Theodor. à Mayden. in dicta relat. causæ Paroch. S. Miniati in* §. *& ne quis putet erga med.* verùm etiam quià si sunt capaces Clerici Sæculares, multo magis capaces esse debent Canonici isti; nullum namque aliud discrimen est inter Canonicum Regularem Lateranensem, & Clericum Sæcularem, quàm istud, quòd scilicet Canonicus Regularis Lateranensis est Clericus viuens iuxtà regulam, & in communi; Clericus verò Sæcularis est Clericus viuens vitam relaxiorem, nam cum in primitiua Ecclesia omnes Clerici originaliter viuerent secundum vitam regularem, & cum horum multi inceperint vitam huiusmodi relaxare; Diuus Pater Augustinus hoc videns, eos sepa-

separauit, & qui vitam Priorem retinuerant, vitam scilicet regularem, illos Canonicos Regulares appellauit, quasi quod viuerent iuxta Canones ad retinendum symbolum Prioris vitæ, Clericos autem, qui Regulam non seruabant, Sæculares vocauit, quasi participantes de Regulari quo ad ordinem, & de Sæculari quo ad vitam, & ideò vocauit eos claudos, tanquam Claudicantes, & vitam regularem non tenentes vt in *Cap. certè 12. part. 1.* & *fusè dictum fuit in relatione Eminentissimi, ac Reuerendissimi D. Cardinalis Cicadæ sub numero 14. §. non obstat*; vndè reuertendo ad primum, si sunt capaces Clerici Sæculares relaxiorem vitam ducentes, multò magis capaces esse debent Canonici isti Regulares, qui perfectiorem viuunt vitam, aliàs posset verificari dictum illud, quòd scilicet quis de bono opere lapidatus esset, & quod virtus pœnis compensaretur, cum status maioris perfectionis, qualis est status Religionis inseruiret de impedimento ad obtinenda Beneficia, ad quæ fuerunt per essentiam instituti, quod dicendum non est, pœna namquè infligenda venit vbi est delictum iuxta *textum in l. si pater seuerinam §. de cond. & demonstr. Surd. decis. 277. num. 19. cum ibi allegat.*

Hinc patet regulam, Sæcularia Sæcularibus, & Regularia Regularibus, &c. de qua *in Clem. prima § sanè prioratus de Statu Monach.* & de qua *Mantic. decis. 67. nu. 5.* Canonicis Regularibus Lateranensibus non applicari, quia textus procedit in Monachis, non autem in istis Regularibus, qui laxiori inseruiunt regulæ, & ab initio sunt Clerici, vt disponitur in *cap. quod Dei timorem de Stat. Monach.* & ibi *Glos. in verb. Ecclesia Sanchez. de præcept. decalog. cap. 29. nu. 35. lib. 7. Garz. de Benef. cap. 10. nu. 24. part. 7. Tambur. de Iur. Abb. disput. 9. quæst. 8. num. 11. Grattan. discept. forens. cap. 123. num. 22. Rot. Rom. decis. 5. nu. 2. versic. quod ego credo verissimum in nouis* & penès *Guidobald. in vna Meten. Parochialis de Richeno 16. Nouembris* 1552. & coram eodem *decis. 96. per tot.* latè *Seraph. decis. 1269.* vbi de materia; *Viuian. de Iur. Patronat. lib. 6. post cap. 2. in addit. Bordon. de Paroch. innat. Lateranen. in tertio Argumento sub num. 44. & dictum fuit in d. relat. Causæ Paroch. Sancti Miniati in §. tertio obijcitur.*

Vndè non crederem, hoc amplius controuertendum, nullo namque Iure non solum non interdictum reperitur Canonicis Regularibus Lateranensibus regimen animarum, vt dixit *Bordon. vbi ante num.* 51. sed hoc eis expresè concessum fuit, vt testatur *Alex. Tertius in Concil. Lateranens. ædito de Anno* 1179. *& insinuat Innocentius Tertius in cap. quod Dei timorem §. licet de Statu Monach.* vbi dicit *quod præfici possunt Beneficijs Parochialibus, etiam sine Socio quando comodè haberi non potest* quod, & idem colligitur ex propria eorum Constitutione, vt in *cap. de admit. ad exercend. Cur. Anim. §. qui causa exercendi part. 2.* & ex proprio eorum professionis voto solemni, vt quoque in eorum *constit. par. 1. cap. 42. num. 9 ad fin.* latè *Viuian. de Iur. Patron. vbi ante lib. 6. cap. 2. in annot.* & quod in Sacro Concilio Tridentino, quamuis huiusmodi Ius ad beneficia eis expresè confirmatum non reperiatur, confirmetur saltem tacitè tradit *Grattian. discept. forens. cap.* 123. *nu.* 23. & voluit *Rot. penes Seraph. d. decis.* 1269. *erga med. Burdon. vbi ante nu.* 32. licèt ex post dici possit quod ab eodem Conc. Trid. *inf.* hoc fuerit confirmatum expresè, vt in posteriori decreto ædito de Anno 1602. de quo penes *Pennot. in lib. Histor. Congregat. Later. lib. 2. cap. 72. sub num. 7. §. nec obstat erga med.* & de quo dicam inferius.

Hæc, quæ dicta superius sunt, comprobantur ex facto, quia tàm ab initio nascentis Ecclesiæ, quam ex post isti Canonici Regulares Lateranenses præfue-

 runt

runt ſemper Eccleſijs tàm Parochialibus, quàm Patriarchalibus, & Archiepiſcopalibus, præfuerunt enim Eccleſiæ, ſeù Baſilicæ Lateran. quæ eſt Papalis, Eccleſiæ Hyerololimitanæ, quæ eſt Pateriarchalis, vt habetur in *cap. dilectiſſimis 12. quæſt. 1.* Eccleſiæ Alexandrinæ, *vt liquet ex literis Eugenij IV. in cap. cum ad dilectiſſimum*, & innumeris alijs Eccleſijs, de quibus per *Gabriel. Pennot. vbi ante lib. 2. cap. 15. vſque ad 41. & per Ferer. in ſuis allegat. probat. 2. a nu. 23. ad 30. & in conſtit. ordinis prædicti aditis de Anno* 1492. *per Steph. Guilleret*; quæ Romæ conſcriptæ manent; quod ſanè non accidiſſet, niſi Canonici Regulares Lateranenſes fuiſſent Beneficiorum capaces, cum eo tempore vetitum eſſet Monachis Eccleſijs præſidere 16. *qu. 1. cap. placuit*. Imò tempore reformationis Cõgregationis prædictæ per Benedictum XII. in Bulla incipien. *ad decorem tom. 1. Bullar.* expreſsè habetur quod Canonici prędicti pręfuerunt tàm Eccleſijs Cathedralibus, quàm Beneficialibus, tàm curatis, quàm ſimplicibus, vt ibi legenti patet *in* §. 6. 8. 25. 27. 30. 39. 47. quin imò quod ex Canonicis prædictis Lateranen. multi fuerint qui ad Epiſcopatũ, Cardinalatũ, & Pontificatum fuerint aſſumpti, nõ nouum eſt, & ex innumeris exemplis poteſt conijci, nam Gerardus Giſla, ſeu Giſela Canonicus Regularis fuit Sancti Ioannis in Monte, & factus fuit Archidiaconus Sancti Petri, & ex poſt Epiſcopus Lambertus de Fagnanis primò Canonicus Lateranenſis, ex poſt Archidiac. Cathedralis Bonon. & poſtremò Pontifex Ildebrandus Graſſus Bononien. pariter Canonicus Regularis Lateranẽſis, & poſt Rector Eccleſiæ S. Geminiani Mutinæ, & deinde Cardinalis cum alijs innumeris adductis per *Pennot.* vbi ante *cap. 23. num. 2. lib. 2. & cap. 53. nu. 2. erga med. & n. 4. lib. 3.* quos ne longior ſim hic non duxi ſerie longa recenſendos, cum ibi legantur.

Supra firmatis non obſtant in contrarium adducta, quod ſcilicet Canonici Regulares Lateranenſes eſſent capaces quidem ſed de Iure antiquo, non autem de Iure nouo, pro quo D. Auerſarij, videlicet Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus Prosper D. ~~Gabriel~~ Fagnanus in *tertio decret. par. 2. in cap. quod Dei Timorem de Statu Monach.* & ante eum *Gonzal. ad Regul. Cancel. gloſ. 7. num.* 53. & alij adducunt aſſertum decretum quodam, vt ipſi appellant emanatum à Gregor. XIII. vbi habetur, & ſunt verba decreti *Sanctiſſimus D. Noſter Gregorius XIII. noluit licere Canonicis Regularibus Lateranen. etiam de licentia ſui Generalis abſq; permiſſu Summi Pontificis aſſumere Curam etiam ad tempus, multò minus Beneficium etiam in Titulum.*

Quià quidquid ſit de hoc aſſerto decreto, & de eius validitate, pluribus namq; modis alias reſponſum fuit prout *in relatione Cauſæ Paroch. Sancti Miniati*, vel ſcilicet quod nihil ponat in eſſe cum nonſit in forma authentica adnotatum, & ſic non ſufficiat ad effectum legis, vt de quodam decreto ſimili Pauli IV. dixit idem *Gonzal. in gloſ. prædicta n.* 55. & vt patet ex ſupra memorata *relat. Paroch. Sancti Miniati in* §. 2. *principaliter*. Vel quod non ſit decretum, ſed ſimplex negatiua voluntatis, quæ morte nolentis extinguitur vt ibi in §. *reſpondetur ſecundò*. Vel quod ex hoc decreto magis reſultet capacitas dd. Canonicorum, vt fusè vbi antè in §. *& certè perſpicienti*. Vel quod nihil faciat cum dicat de licentia Generalis, qui hanc facultatem non habet, ſed benè Capitulum Generale, vt legitur in eorum Profeſs. & lex correctoria alterius nõ eſt amplianda, ſed reſtringenda ex iuribus vulgatis.

Veritas tamen eſt, quòd quoquo modo accipiatur, non officit Canonicis Lateranenſibus ab origine, quià dato etiam quod hoc decretum eſſet authenticum, & vim legis haberet ità, & taliter, quod poſſet dici Ius nouum, hoc Ius, vel intelligen-

telligendum esset quod loqueretur de Canonicis translatis, prout in decreto Congregationis Sacri Concil. Trident. de quo *cap. 11. sess. 14.*

Vel quod tanquam non promulgatum, atq; vsu receptum habendum non sit in consideratione, & censeatur, ac si non emanesset ex *Paris. cons. 53. num. 98. lib. 3. Mascard. de interpret. Statut. concl. 8. num. 27. cum seqq. versiculo sexto limita Gabriel. de leg. & constit. concl. 4. nu. 6. Gratian. discept. forens. cap. 460. nu. 22. ad* 14. vbi latè *Rot. penes Burat. decis. 97. sub nu. 12. §. vltra quod ad n. 15.* & quod lex noua licèt publicata, vsu tamen non recepta viribus careat, & dissuetudine tollatur est textus in *l. de quibus C. de leg. & in §. quoniam §. final. Auth. quibus mod. nat. effic. sui glos. in cap. 1. in verb. plangere de treg. & pac. Rot. Rom. in vna Gerũden. Iurisdictionis tertia Decembris 1635. coram Merlin. cum congestis per Rub. in annot. ad decis. 28. nu. 73. par. 3. rec.*

Quod prædictum decretum intelligendum veniat de translatis non de verè Canonicis Regul. Lateranen. ab origine, probatur ex vulgari regula illa, quod lex, seu constitutio posterior limitari, & restringi debet secundum pręcedentem a qua non intelligitur recessum nisi pro expressis per *textum in l. sed & posterioribus ff. de leg. cum not. in l. sciendum ff. qui satisd. cogan. iuncta Auth. offeratur C. de lit. contest. Glos. in l. non dubium C. de leg.* & ibi *Bart. num. 9. versic. secundo quæro, & Bald. nu. 8. Abb. cons. 24. in princip. & n. 1. lib. 2. Rot. penes Buratt. decis. 167. n. 3.* cum in dubio lex noua non præsumatur velle corrigere veterem cap. cum expediat de ellect *Gratian. discept. forens. cap. 573. n. 34.* at cum pręcedens dispositio Concilij loquatur de translatis ibi *ac taliter translatus etiam si Canonicorum Regularium fuerit, ad beneficia Sæcularia etiam Curata omninò incapax existat*, dicendum quoq; est quòd decretum prædictum veniat in parte ad Confirmationem decreti dicti Concilij loquentis de translatis, & in parte ad eius modificationem; cum id quod absolutè prohibitum erat translatis per Concilũ prædictũ, declaretur nõ prohibitum, accedente permissu Summi Pontificis quodsatis est, cum sufficiat quod lex correctoria Iuris aliquid operetur etiam si esset in modico *c. cum dilectus*, vbi *Abb. n. 21. de consued. Felin. in tract. quando lit. Apostolic. colum. 3. in fin. versic. ampliatur 3. Surd. decis. 9. n. 14. latè Burat. d. dec. 167. n. 6.*

Probatur secundò ex implicantia, quæ oriretur si d. decretũ nõ intelligeretur de translatis, implicaret namq; quod Canonici Regulares Lateranenses ab origine, qui sunt de Clericis illis institutis a Sanctis Apostolis, vt dixi superius in §. 4 *comprobatur*, qui omnes in primitiua Ecclesia ordinabantur Sacerdotes ad Curam animarum, vt apertè constat ex *Sac. Act. 14. & 22. teste Burdon. de Iur. Paroch. innat Lateranen. num. 2. & 6.* & qui non solùm per sè sunt capaces propriè, & naturaliter Curæ animarum, vt dictum fuit superius, sed, & quoq; capaces sunt ex Iuris dispositione per textum in *cap. quod Dei timorem de Statu Monach. & dictum pariter fuit in d. relatione causæ Paroch. Sancti Miniati in §. & in hanc opinionem* egerent dispensatione pro obtinenda capacitate quam habent; dispensatio namq; arguit actum, qui de Iure fieri non potest, licitum ex dispensatione, vt tradit *Buratt. decis. 19. nu. 8. & 9.*

Ex his rationibus data existentia, & veritate decreti prædicti, superius datas responsiones, & interpretationem, quod debeat intelligi de translatis, duxi germanas esse, attento maximè quia de Anno 1602. & sic 21. Annis post dictum decretum Gregorij XIII. Sacra Congregatio Concilij Tridentini declarauit Canonicum Regularem Lateranensem non prohiberi obtinere Beneficia Curata Sęcularia, nisi esset de translatis de quibus in decreto *Concil. cap. 11. sess.* 14.

14. vt videre contingit penes *Penot. in sua Tripart. Hist. Congreg. eiusdem loc. supra citat. cap. 72. num. 7. post med. Burdon. vbi ante num.* 54. Hinc est quod data etiam, prout non datur, validitate prædicti decreti Gregorij XIII. attamen standum esset dispositioni decreti Sacri Concilij tanquam posterioris iuxtà regulam quod posteriora derogant prioribus *l. sed, & posteriores ff. de leg. Bald. cons. 223. num. 2. lib. 1. cum ibi relat.*

Vndè est quod *Gonzal.* supra pro contraria opinione adductus, & qui fuit prædicti decreti antesignanus relator, hac cognita veritate, in secunda editione se correxit adducendo d. posterius decretum Sacri Concilij, & ideò omnes post eum si secuti fuerunt errantem, debuissent quoque, & sequi illum emendantem, vt dixit *Penot. vbi supra cap. 72. nu. eodem Burdon. loco supra citat. nu.* 54. *&* 55. & licèt ~~Eminentissimus~~ Corradus in libro de dispensat. Apostolicis ex verbis de quibus in Professione Canonicorum Regularium Lateranensium cognita veritate, quod dicti Canonici Lateranenses sunt capaces de per se Beneficiorum, studeat hanc capacitatem restringere ad beneficia alterius Ordinis Regularis, per verba illa *extra ordinem nostrum*, attamen pace tanti Viri restrictionem hanc, & declarationem non credo subsistere, tum ex ratione in comprobatione sui dicti per eum assignata, tùm quia repugnat Iuri.

Ex ratione per eum assignata dicta interpretatio non est subsistens, quia cum pro ratione propter quam verba prædicta apposita in Professione sint intelligenda de beneficijs alijs regularibus alterius ordinis assignet, *quia homines disparis conditionis non possint inuicem associari*, ergo in eius Sententia sequitur quod homines paris professionis possint associari, at homines paris conditionis sunt Canonici Regulares, cum æqualis professio sit, & par Symbolum inter Canonicos Regul. Lateranen. & Clericos Sęculares, cum isti ab ipsis descendant, & sint vnæ, eiusdemq; qualitatis quo ad essentiam, quia omnes sunt de per se essentialiter Clerici, vt superius dicebam §. *ex his rationibus*, & alibi (quod non procedit in Monachis disparis Professionis, qui sunt Clerici per accidens, nam ex eorum institutione omnes sunt Laici per *textum in l. generaliter C. de Episcop. & Clericis, & in cap. generaliter* 16. *quæst.* 1. quin imò de Iure non poterat Clericari, vt notat *Præpos. in cap. priscis* §. *distinct. & in cap. moderamine* 1. *quæst.* 7. *cum alijs fusè deductis per Eminentissimum Cardinalem Cicadam in dicta eius relat. num.* 15. §. *Monachi vero*) ergo facilior est transitus, & capacitas Canonici Regularis ad Beneficium Curatum Sęculare, quàm ad Regulare alterius Ordinis, cum inter Monachum, & Canonicum Regularem sit dispar Professio.

Repugnat Iuri, quià cum per Sacrum Concilium Tridentinum fuerit in *cap.* 11. *sess.* 14. *Sancitum*, quod *taliter translatus* (& sunt verba formalia Concilij) *etiamsi Canonicorum Regularium fuerit ad Beneficia Sęcularia etiam Curata omnino incapax existat*, & ex posteriori decreto Concilij prædicti Statutum quoque fuerit *d. cap.* 11. *sess.* 14. non obesse Canonicis Regularibus non translatis, quin imò declarat Canonicum Regularem non prohiberi obtinere beneficia Curata Sęcularia, non est disputandum circa interpretationem, cum versemur in casu expresso, quod cessare facit tacitum, & interpretatiuum *l. cum ex filio* 39. §. 1. *l. ex facto* 43. §. *item quæro ff. de vulgar l. final. C. de pact. conuent. Rot. coram Burat. decis.* 949. *nu.* 1. *cum alijs alleg.* congestis per *Otthob. decis.* 133. *nu.* 19. & sic dicta interpretatio esset contrà verba Concilij expresse de capacitate Canonicorum Regularium ad beneficia Sęcularia disponentia.

Redeundo igitur ad assumptum nostrum dico, quòd d. Decretum si adesset, vel

debeat

debeat intelligi de translatis, vel tanquam non promulgatum, atque vsu non receptum (& venio ad secundum) habendum non sit in consideratione, & multo magis quia post d. decretum semper pro capacitate Canonicorum Regularium rescriptum fuit prout de Anno 1584. S. Carolus Borromeus Canonicos Regulares Lateranenses ad concursum admisit, eisq; Ecclesias Seculares Parochiales contulit, *Penot. vbi ante nu. 7. post med.* ex post de Anno 1598. *sub die 4. Martij Reuerendiss. DD. Rot. Rom. Audit.* a Papa deputati, articulo maturè discusso pro capacitate Canonicorum Regularium resoluerunt, vt penes *Seraph. decis.* 1269. *& ante, Guidob. decis. 96. per tot.* quos oculatissimos Patres dicta dispositio Gregorij latere, nec debuit, nec potuit, & cum de ea mentionem numquam faciant, dicendum est, tenuisse dictam dispositionem capacitati Canonicorum Regularium Lateranensium non obstare, vt dictum fuit in d. *relat. causæ Paroch. S. Miniati* §. *& rectè perspicien. in fin.* ex post de Anno 1602. Clemens Octauus contulit Præposituram quandam D. Paulo Tarpellio Pedemontano Canonico Lateranensi, & visum fuit ante Collationem, an ille capax esset, & affirmatiuè fuit ressolutum prout, & ex post (D. Clemente Regnante) de illius ordine, vt amplius circa hanc Canonicorum Regularium capacitatem non esset hæsitandum articulo plenè per Sacram Congregationem Concilij examinato ad fauorem dd. Canonicorum fuit resolutum, & emanatum decretum d. Concilij de quo superius ex *eod. Penot. vbi ante num. eodem in fin.* ex post sub eodem Clem. VIII. contendentibus Vicario Generali Episcopi Cremonæ super Sacerdote præficiendo Curæ animarum in Ecclesia Parochiali S. Pauli, Summus Pontifex ad fauorem Abbatis, & Canonicorum rescripsit *Burdon. vbi ante nu.* 58. & quod à d. tempore vsque ad præsens semper pro capacitate Canonicorum Regularium fuerit resolutum patet, ex Sententijs latis, & Collationibus factis de quibus habetur *in dicta relatione causæ Parochialis Sancti Miniati in* §. *& in hanc opinionem* Sententia in fine eiusdem adnotata, & ex post ex promotionibus, & collationibus infrascriptis videlicet.

De Anno 1657. promotus fuit ad Beneficium simplex Carolus de Magnis Rauenaten. Item D. Abbas Iacobus Certanus Canonicatum in Insigni Collegiata in Ecclesia Sancti Petronij Bonon. obtinuit.

De Anno 1658. Alexander de Noris Cesen. obtinuit Beneficium simplex, in Ecclesia Monialium S. Blasij Ciuitatis eiusdem. Item de eodem Anno Alexander Fattibonus pariter ad Beneficium simplex fuit admissus.

De Anno 1659. Petrus Franciscus Parmen factus fuit Archipresbiter Sancti Nazaris in Ciuitate Placentiæ. Item Paulus Aduocatus ad beneficium cum cura fuit admissus. Item, & Hieronymus Petrobellus ad aliud beneficium simplex, vt per Sententiam Nuncij Apostolici Venetiarum.

De Anno 1663. Patritius Saluolinus Medulen. obtinuit pariter Beneficium simplex suæ Domus Iuris Patronatus.

De Anno 1664. datus fuit Prioratus Sancti Alberti Diœcesis Rauennaten. Pomponio de Spretis; Item, & Primiuiceriatus Ecclesię Cathedralis Anconæ Angelo Feretto Ciuitatis eiusdem; ante per Alexandrum VII. concessum fuit Breue Patri Carducio Societatis Iesu Professo, cum obtinuisset à suo Præposito Generali fieri Canonicum Lateranensem quod Breue incipit *Religionis Zelus*, & æditum fuit de Anno 1663. sub die 28. Septembris, vbi erga medium conceditur facultas eidem Patri Carducio gaudendi omnibus priuilegijs, quibus gaudent Canonici Regulares Lateranenses non translati, vt ibi *ac omnibus, ac singu-*

singulis priuilegijs gratijs, & indultis, quibus d. Congregationis Canonici Regulares etiam non translati, tàm de Iure, vsu, & consuetudine, quàm aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur, & gaudent, ac vti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quouis modo in futurum pari modo vti, frui, & gaudere liberè, & licitè possis, & valeas, quod priuilegium nisi intelligeretur circa capacitatem ad beneficia in nihilo consisteret quia sublata hac capacitate nulla esset distinctio inter Canonicum translatum, & non translatum, at cum Summus Pontifex in Breue asserat, quod gaudeat Priuilegijs, quibus gaudent Canonici non translati dicendum sequitur Canonicos Regulares Lateranenses ab origine, esse capaces per se Beneficij Secularis Curati, aliàs fuissent inutile Breue, & superflua verba; cum, hoc sublato, non plus habeat non translatus, quam translatus; quod non est dicendum, cum verba debeant semper aliquid operari, ne detur intellectus, per quem, aliqua superfluitas inducatur, ex latè congestis per *Gratian. discept. forens. cap. 995. nu. 9. Rot. decis. 194. num. 25. part. 5. & decis. 112. num. 11. par. 6. rec. cum ibi alleg.*

Vndè à primo ad vltimum pro Capacitate Canonicorum Regularium Lateranensium videtur concludendum prout pro Iustitia speratur.

Quare, &c.

Andreas Blanchinus Aduocatus.

Extrait
de la relation de ce qui s'est passé
dans la congregation des ch. Reg.
de france durant l'année 1672.

p. 4. Les ch. Reg. de la congregation de Latran en Italie etoient en possession de tenir des cures seculieres aussi bien que des regulieres; mais le pape a jugé a propos d'y apporter quelque modification: et la raison qu'il a alleguée dans le bref qu'il a donné sur ce sujet, c'est afin de pouvoir mieux reconoitre la vocation des chan. Reg. aux benefices, qu'il estime une condition fort necessaire en ceux qui s'y engagent. Ut magis accurata disquisitione eorum canonicorum spiritus et vocatio dignoscantur, qui dum in tranquillitate montis Sion cælestium contemplatione suavissime pascuntur, ad frangendum in valle lacrymarum panem parvulis, videlicet e claustro ad regimen descensuri parochiarum, invitantur. Il ordonne a ceux a qui l'on permettra de tenir doresenavant des benefices seculiers d'avoir un religieux pour compagnon avec eux. &c.

RELATIO CAVSÆ SANCTI MINIATI PAROCHIALIS,

AGITATÆ CORAM

R. P. D. BARANZONO

A. C. Locumtenente,

Necnon in plena Signatura Gratiæ coram

SANCTISSIMO.



ROMÆ, ET BONONIÆ, MDCLXX.

Typis Iacobi Montij. Superiorum permissu.

Sancti Miniati Parochialis.

R. P.



Imon de Fanciullacijs resignauit Parochialem Ecclesiam S.Ioannis Baptistę loci de Focecchio Sancti Miniati Diœcesis ad fauorē R. D.Christophori de Ciccijs Canonici Regularis Congregationis Lateranen. qui coram Ordinario S. Miniati executionem literarum resignationis petijt, eoquè denegante, idem Christophorus adiuit A. C. Generalem literarum Apostolicarum executorem, & à R. P. D. Baranzono executionem obtinuit. Causa verò recusationis Ordinarij in exequendis literis, erat; quia Canonicus Regularis; qualem esse constabat Christophorum, erat incapax Parochiæ Sæcularis, & hanc qualitatem in literis non expresserat, quod necessarium non erat, cum Canonici Regulares sint Parochialium Sęculariū Ecclesiarum capaces, & ideo qualitas illa exprimenda non erat, vtpotè, quod eius omissio non causabat subreptionem *cap. cum adeo de rescript. ex literis de transact. cap. in Ecclesia de instit. cap. in nouo* 21. *distinct. cap. manet.* 24. *quæst.* 1.

Quod autem Canonicus Regularis sit capax Parochiæ Sęcularis, expresse disponitur in *cap. quod Dei timorem de Stat. Monach. vbi gloss. in verbo Ecclesiarum* dicit, hoc procedere de Iure communi, nempè, vt occurrat obiecto, quod fieri posset de capacitate in subsidium, non autem de capacitate propria, & subdit gloss. *per antiquos Canones, etiam Monachi possunt ad Ecclesiarū regimen in Præsbyteros ordinari*, & de hoc dubitari non posse dicit *Siluest. verbo Religiosus* 7. *n.* 4. *Rebuff. in praxi tit. de dispens. pro regular.*

Et notandum quod in *cap. Dei timorem* dubitabatur, an Monachi essent capaces Parochialium Ecclesiarum ratione curæ animarum propter *cap.* 2. quod contrarium videtur disponere, & respondit *text.* affirmatiuè. De Canonicis verò Regularibus Parochialium Ecclesiarum de iure capacibus, nullum erat dubiū, nam licet sint Regulares; attamen laxiori regulæ inseruiunt, vt inquit tex. hic, & notat *gloss. in verbo laxiori*, imò Canonici Regulares in fauorabilibus reputantur Clerici Sæculares, vt ex Constit. Leon.X. in Bullario nouo 34. vbi quæsitum fuit, an Canonici Regulares promoti ad Episcopatum, vti debeant habitu Regulari, seu potius Clerici Sæcularis, & resolutum fuit, quod vtantur habitu Episcoporum, qui ex Clericis Sęcularibus assumuntur ad Ecclesiam Episcopalem, & propterea etiam sunt capaces beneficiorum Sæcularium simplicium, vt aliàs cū Dominò Gabriele Pennotto latiùs ostendi, quæ hìc non repeto, cum disputatio sit restricta ad Parochiales, de quibus nullum potest esse dubium, iuxtà *text. in d. cap. quod Dei timorem*, vbi dicitur hoc procedere de iure antiquorum Canonum, notat *Felin. in cap. in præsentia de probat. Iason. in auth. ingress. C. de Sacrosanct. Eccl.* & est communis DD. opinio post *Abbat in dicto cap. quod Dei timorem. Rebuff. Siluest. loc. allegat. Less. de instit. & iure lib.* 2 *cap.* 41. *dub.* 12. *punct.* 98. ostendit *D. Tamburin. amicus meus tract. de iure Abbat. tom.* 1. *disput.* 25. *qu.* 1. *Gratian. discept. forens. cap.* 123. *nu.* 22. *& seqq. Cherubin. ad Constit.* 59. *Gregor. XIII. Viuian. in praxi iurispatron. cap.* 2. *in appendic. Pennott. vbi supra lib. in principio.*

Et in hanc opinionem videtur inclinare *Rot. decis.* 5. *de iur. patron. in nou.* & eam

tenet expresse coram *Guidobon. decis. 69. & coram Seraph. decis. 1269.* cuius supremi in toto Orbe Tribunalis authoritatem sequuta sunt diuersa Italiæ Tribunalia, & quidem Ecclesiastica, inter cætera, quæ ad manus meas peruenere, & quidem authographa est Sententia Illustrissimi D. Nuntij Apostolici Venetiarum sub die 14. Nouembris 1635. ad fauorem R. D. Pauli de Aduocatis Canonici Regularis Brixien. prouisi de beneficio simplici S. Marci Brixien. altera Reuerendissimi D. Laurentij Capponis Iudicis delegati sub die 20. Decembris 1636. ad fauorem D. Ioannis Papinij Canonici Regul. Lateranen. alia lata ad fauorem D. Hieronymi Petrobelli Veneti Canonici Regularis Lateranen. per Vicarium Generalem Taruisinum de Anno 1639. & vltra alias multas prouisiones tam ordinarias, quam Apostolicas, de quibus per *Gabrielem Pennot. in sua Historia tripartit. lib. 2. cap. 72. fol.* 540. afferuntur, & aliæ recentiores. Quarum prima est D. Petri Pelizzonij Canonici Regularis Lateranen. qui prouisus fuit de Parochiali Ecclesia S. Luciæ loci S. Luciæ, Comitatus Sancti Saluatoris ab Episcopo Ceneten. sub die 5. Februarij 1634. affertur & alia prouisio Apostolica Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ Campi Nogariæ Paduan. Diœc. de Anno 1634. in personam D. Landiuij ab abaco Canonici Regularis Lateranen. fuit & quoque prouisus de præbenda Theologali Ecclesiæ Rauennaten. ab Eminentiss. & Reuerendiss. D. Cardinali Capponio, tunc Archiepiscopo dictæ Ecclesiæ D. Laurentius Rauennaten. Canonicus Regularis Lateranen. sub die 1. Iunij 1639. qui quidem Eminentissimus Dominus Cardinalis antea contulerat R. D. Petro Damiano Canonico Regulari Ecclesiam Archipresbyteralem suæ Diœcesis. Ego quoq; habui casum de tempore Pauli V. pro D. Ignatio de Baratterijs Placentino Canonico Regulari Lateranen. qui iuxta *cap. quod Dei timorem* obtinebat Parochialem Sæcularem, quam resignare intendebat ad fauorem Presbyteri Sæcularis, reseruata sibi super illius fructibus annua pensione, super quò fuit porrecta supplicatio Papæ, tunc Tusculi rusticanti, quo quotidie mittebantur supplicationes, & illi Papa manu propria subscripsit. *an Orator obtinuerit parochialem ex dispensatione, exprimatur.* Huic rescripto ego respondi, *non indiget dispensatione Apostolica, quia de iure communi est capax*, & cum hoc meo responso, supplicatio iterum fuit transmissa Tusculum, responsioni meæ Papa subiecit. *Non est pensionis capax.* ego subintuli fuit *capax omnium fructuum*, ergo *partis*, & cum hac responsione Papa signauit supplicationem, & ita seruant plerumque Ordinarij, per Italiam etiam S. R. E. Card. & demum ita lego declaratum fuisse ab Eminentissimis Interpretibus Sacri Conc. Tridentini in declarationibus generalibus, quæ circumferuntur sub Anno 1602. & sub die 17. Nouembris 1629.

Quæ eo magis procedunt quod Canonici Regulares sunt verè Clerici, vt ex Diuo Thoma 2. 2. quæst. 189. artic. 8. his verbis *vtraque religio ordinatur ad opera vitæ contemplatiuæ, inter quæ præcipua sunt ea, quæ aguntur in diuinis mysterijs, ad quæ ordinatur directè ordo Canonicorum Regularium, quibus per se competit, quod sint Clerici Religiosi.* Idem opuscul. 19. cap. 2. ad secund. scribit. *Quamuis Monaco docere non liceat, non sequitur, quod Canonicis Regularibus non liceat docere, cum Canonici Regulares inter Clericos computentur de quibus Augustin. de commun. vita Cleric. & habetur 12. quæst. 1. cap. nemo.*

Ioann. de Nigrauall. Bibliot. Apostolic. lib. 13. cap. 18. adhuc plus dicit, nempè quod Canonici Regulares sunt verè Clerici, & Sæculares ab ipsis nomen mutuarunt, verba eius sunt, *Canonicis Regularibus in primitiua Ecclesia Clericorum nomen ab Apo-*

Apostolis inditum fuit, eo quod per terrenarum renunciationem, & Ecclesiasticorum assumptionem in sortem Domini fuerunt assumpti, ideoq; ipsi Regulares Canonici dicuntur Clerici primitiuæ Ecclesiæ, Clerici verò, vel Canonici Sæculares, dicuntur quidem Clerici, sed deriuatiuè, quia ab ipsis primis Clericis regulariter viuentibus originem traxerunt.

Idem voluit adnotasse *Ioann. Gerson. Cancell. Parisien. Alphab. 22. litt. N. tom. 1. 41. his verbis Apostoli fuerunt Canonici Regulares sub Abbate Christo, & Volaterr. explicans hanc propositionem in antropolog. lib. 21. dicit, Ordinem Canonicorum Regularium originem sumpsisse in Monte Sion*, & latè *Pennott. in sua Tripartita lib. 2. cap. 1.*

Eandem sententiam, quod Canonici Regulares dicantur, & verè sint Sæculares vltra Constitutionem Leon. mox allegat. declarauit Sanct. Mem. Pius V. in suo Motu proprio incipit, cum exordium, ibi, *Canonici Regulares Lateranenses, qui ab Apostolis originem traxerunt, quique ab eodem Augustino eorum reformatore iterum per reformationis vim mundo geniti meritò prætendere possunt se omnes alias personas Ecclesiasticas tam Sæculares, quam Regulares præcedere debere.* Idem statuit Pius IV. in confirmatione cuiusdam sententiæ, latæ pro præcedentia Canonicorum Regularium respectu Monachorum Cassinensium Motu proprio, &c. *Quod ipsi Canonici Regulares fuerunt, & sunt de illis Clericis a Sancto Augustino, quinimo à Sanctis Apostolis institutis*, & post pauca subdit *eosdem Canonicos, tam suæ institutionis huiusmodi, quam etiam dignitatis Clericalis, qua eos statim quod professionem regularem emiserunt insignitos esse oportet*, & Sixtus IV. inhærendo eisdem inquit, *Huius profectò Sacri Ordinis, & Sancti propositi post Sanctos Apostolos primùm in Alexandrina Ecclesia Marcus Petri discipulus fuit institutor, & conditor, ac gloriosus Doctor Augustinus diuinis regulis illud decorauit*, & Sanctæ Mem. Vrbanus Martyr, & Summus Pontifex generalis decreti ordine reformauit, & Beatus Gregorius Augustinus Anglorum Episcopus; *vel plantationem sacram in commisso sibi Populo præcepit institui, & in Occidentis finibus ampliauit.* Benedictus quoque XII. recensendo originem eiusdem ordinis inquit: *inter religiones alias in agro eiusdem plantatas Ecclesiæ, ad Religionem Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini in Christi gloriosis discipulis in primitiua Ecclesia sacris institutionibus stabilitam.* Huc etiam respexisse autumo Vrbanum Octauum fælic. record. cum contulit Archidiaconatum Ecclesiæ Neumasen dignitatem post Pontificalem maiorem Canonico Regulari quia Archidiaconatui incumbebat onus animarum.

Et ne quis putet priuatum, & particularem Canonicum solummodò esse capacem Ecclesiæ Parochialis sæcularis ob curam animarum, clarè refellitur, sed totus ordo venit nomine Clericorum, absque vllo addito, ut dicit *Cened. qu. 20. nu. 5.* quia quoad honorem, & dignitatem a Sæcularibus Canonicis non differunt, & ideo possunt habere portiones proprias distinctas a Canonicatu, ut in Ecclesia Calaguritana, & alijs totius Hispaniæ ante sæcularizationem, & relictum Canonico Regulari, censetur relictum personæ, non Monasterio, aut Ecclesiæ iuxta *decis. Bartol. in l. ciuibus ff. de reb. dub.* quia æquè est capax, ac Clericus Sæcularis cum omnis distinctio inter ipsos sit sublata, quia per seipsos sunt Clerici *Cened. d. quæst. 20. nu. 5.* immo, & Clericorum antesignani iuxta *Cassan. in catal. glor. mund. par. 4. consid. 51.* qui dicit, statum Canonicorum Regularium esse nobiliorem, anteriorem reliquis Canonicis, & propterea Clericatus Ordini Canonicorum Regularium ipso iure eis competit, & si prohibitio fieret, nè conferantur beneficia Sæcularia Monacis, siuè Regularibus, non compræhenderentur Canonici Regulares, quia odiosum refert *Cened. d. quæst. 20. nu.* 16.

16. quia Cap. quod Dei timorem, non dat indultum Canonicis Regularibus, sed dicit eos sub cap. 2. prohibitiuo non compræhendi, quia primum eorum institutum est animarum cura. ita disertè *Ceued. d. quæst. 20. num. 16.* ubi quod Canonici Regulares sunt instituti ad contemplationem circa mysteria Ecclesiastica publica, Monachi verò ad contemplationem priuatam.

Non obstant quæ in contrarium huic opinioni adducuntur, & primò, quod in concordatis Franciæ caueatur, imposterùm Regulares assumi nō posse ad beneficia sæcularia, etiam curata ita dicitur disponi in §. *volumus tit. de Collat.*

Huic obiecto respondetur primo Concordata Franciæ inita fuisse cum Reguo Franciæ, Prouincia Delphinatus, & Comitatu Diensi, ut in litera Concordatorum sæpiùs repetitur, & propterea alia Regna, siue Prouincias non afficere.

Hanc difficultatis solutionem *Garz. cap. 10. nu. 33.* effugit de suo cerebro, dicens, quod dispositionem huiusmodi concordatorum ad alias Prouincias extendi Papa uoluit, quod dicit de cerebro suo, nam neminem allegat pro hoc authorem, nisi *Gonzal. ad regul. 8. gloss. 7. nu. 53.* qui se correxit, in secunda impressione, ut uidere est, & firmat regulam nostram, Canonicos uidelicet regulares capaces esse Parochialium sæcularium, & non solum Bulla concordatorum ad Prouincias ibi expressas, sed etiam ad collationes faciendas ad nominationem Regis, & aliorum beneficiorum patronorum, ut uidelicet Rex, seu alius quispiam in uim istorum concordatorum nominare non possit Regularem ad sæcularia, siue Sæcularem ad regularia, ut legitur in §. *volumus*, qui in Bulla non est separatus, quæ uerba non iniungunt nouam inhabilitatem, neque ijs, neque illis, sed tantùm disponunt, ne quis utatur ad huiusmodi effectum priuilegio concordatorum, ut expresè innuunt sequentia uerba *etiam sub prætextu cuiusuis dispensationis Apostolicæ, &c.* notat *Rebuff. hic in verbo dispensationem, &c.* relinquens in dispositione iuris §. *ipsum volumus*, qui in ipsa Bulla non legitur discretus, siue distinctus, de per se est in fine §. 12. *statuimus insuper, &c.* & ideo *Garz.* ubi supra nequiuit inuenire §. *volumus*, ut ipsemet ibi fatetur, & propterea loquitur dubitatiuè.

Notandum obiter hìc est, quod DD. mirabiliter confundunt terminos *cap. 2. de Stat. Monach.* quod emanauit in Concil. Lateranen. sub Gregor. III. cum terminis huius §. *volumus*, & concordatis in Concilio Lateranensi celebrato sub Leone X. inter quæ duo intermediant ferè tria integra sæcula, unde quia quinque in Palatio Lateranen. fuerunt celebrata Concilia ad effectum, ut dignoscatur, de quo Concilio fit sermo, Dataria, & Secretaria Apostolica, quando de Leonino loquitur addit. *iuxta Concil. Lateranen. vltimo loco celebratum, &c.* quod DD. ignorasse non debuerunt: Sanè *Rot.* DD. oculatior *dict. decis. 5. de iurepatronat. in nou.* nullum agnoscit Concilium Lateranen. prohibitiuum Regularibus, ne assumantur, nisi illud, quod refertur *in dicto cap. quod Dei timorem de Stat. Monachor.* quod nobis non obstat, quia loquitur de Monachis tantum, non autem de Canonicis Regularibus, ut ad literam declarat textus in subsequenti cap. uidelicet Canonicos Regulares sub dispositione cap. 2. non comprehendi.

Secundò principaliter objicitur quoddam decretum, ut dicitur Gregorij XIII. de quo per *Gonzal. & Garz. loco allegat.* quos sequitur *Barbos. sup. cap. 11. Concil. Trident. sess. 14.* Cui respondetur primo, quod decretum huiusmodi nullibi reperitur adnotatum authenticè, sed priuatim in libris adnotationum alicuius Secretarij Sacræ Congregationis Concilij Interpretis, quod non sufficit ad effectum

fectum legis, sed debet esse registratum in loco publico, vt de simili decreto Pauli IV. dicit *Gonzal. d. gloss.* 10. *num.* 55.

Respondetur secundò, beneplacitum illud non esse decretum, sed simplicem negatiuam voluntatis, prout sonant eius verba. *Sanctissimus noluit licere Canonicis Regularibus assumere curam animarum absque permissione Summi Pontificis*, quæ noluntas nihil aliud est quam simplex animi motus, vt ex Diuo Augustino refertur in causa 15. quæst. 1. in principio, qui motus morte nolentis extinguitur, vt benè *Gonzal.* §. 5. *proham. nu.* 14. & de simili dispositione Pauli Quarti idem *Gonzal. gloss.* 5. §. 4. *num.* 35.

Et rectè perspicieri verba huius dispositionis reperiet, illa valde tacere Canonicis Regularibus: indicant enim, quod absq; permissu Papæ non possunt assumi ad Parochias Sæculares, & non dicunt sine dispensatione; quia videlicet de iure sunt capaces, in quo allucinantur omnes scribentes pro contraria opinione, quibus resistunt nedum moderni supra allegati, sed etiam antiquiores, vt per *Adden. ad consil. Nauarri* 12. *de Stat. Monach.* & quod omnibus præualet, hanc opinionem tenuit *Rot.* etiam post Gregor. XIII. vt ex supradictis decisionibus, cuius supremi Tribunalis oculatissimos Patres hæc dispositio Gregorij latere nec debuit, nec potuit, & cum illius mentionem nunquam faciant, dicendum est, eos tenuisse, dictam dispositionem huic sententiæ non obstare.

Tertiò obijcitur Regula, sæcularia sæcularibus, regularia regularibus, quia procedit in materia indifferenti, non autem vbi adest dispositio particularis, prout est dispositio cap. quod Dei timorem; neque Concilium Tridentinum nouam inducit formam, aut contrariam dispositionem: statuit enim sess. 14. cap. 10. quod sæculares Sacerdotes absolutè sunt incapaces beneficiorum Regulariũ, cap. deinde sequenti videlicet vndecimo disponit, quod Canonici Regulares sunt incapaces beneficiorum sæcularium, at non absolutè, sed tantummodo translati, in odium translationis.

Hisce parte aduersa non acquiescente, immò præiudicium Datariæ prætexente R. P. D. Baranzonus noluit pronunciare, sed remisit partem ad Signaturam Gratiæ, in qua proposuit commissionem R. P. D. Fanus de mense Septembris 1650. & Sanctissimus noluit rescribere, sed commissionem partis aduersæ reiecit; quapropter R. P. D. Baranzonus suam tulit Sententiam ad fauorem Canonici Regularis, a qua pars aduersa appellauit, & appellationis commissionem proposuit in Signatura Iustitiæ R. P. D. Honoratus de mense Nouembris eiusdem anni, quà similiter nihil rescribente R. P. D. Baranzonus executus est suam Sententiam, vt infrà.

Theodorus à Meijden. Aduoc.

Tenor Sententiæ R.P.D. Baranzoni ad fauorem Canonici Regularis.

CHristi Nomine Inuocato. Pro Tribunali sedentes, & solùm Deum præ oculis habentes per hanc nostram diffinitiuam Sententiam, quam de iuris peritorum consilio in his scriptis ferimus in causa, & causis, quæ coram nobis in prima, seu alia veriori versæ fuerunt, & vertentur instantijs inter Reu. D. Christophorum de Ciccijs Canonicum Regularem Ordinis S. Augustini Congregationis Lateranen. actorem ex vna, & D. Franciscum de Ringherijs Reum conuentum partibus ex altera, de & super executione literarum Apostolicarum resignationis Parochialis Ecclesiæ S. Ioannis Baptistæ loci de Fococchio S. Miniati Diœcesis aliàs per q. Simonem de Fanciullaccijs ad fauorem dicti Christophori factæ, rebusque alijs in actis causæ, & causarum huiusmodi latiùs deductis, dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & diffinitiuè Sententiamus literas Apostolicas resignationis præfatæ vt supra ad fauorem dicti Christophori expeditas exequendas fore, & esse, prout illas exequi volumus, & mandamus, & mandata quæcunq; desuper necessaria, & opportuna decernimus, & relaxamus, dictoque Francisco de Ringherijs perpetuum silentium imponimus, victum victori in expensis condemnamus, quarum taxationem nobis, vel cui de iure imposterum reseruamus, & ità dicimus, declaramus, decernimus, & diffinitiuè sententiamus non solum modo, & forma præmissis, sed & omni alio meliori modo, &c.

Ita pronunciaui F. M. Baranzonus Lnis.

Instrumentum captæ Possessionis in vim supradictæ Sententiæ.

IN Dei Nomine Amen. Anno Domini Nostri Iesu Christi, ab eius salutifera Incarnatione 1650. Indictione tertia, die verò 18. mensis Octobris Innocentio X. Sanctiss. Pontifice, ac Serenissimo Ferdinando Secundo Magno Hetruriæ Duce dominantibus actum in Terra Phocecchij in Ecclesia Plebaniæ nuncupata S. Ioannis Baptistæ, præsentibus ibidem Perillust. D. Dominico qu. Laurentij de Groppis, Ciue Florentino Prætore Benedicto Terræ Phocecchij, & DD. Iacobo Simone de Roscettis, & Matthia Alexandri de Montanellis de dicto Phocecchio testibus, &c.

Cum sit (prout infrascriptus asseruit) quod multo iam elapso tempore vacauerit Parochialis Ecclesia Plebania nuncupata Sancti Ioannis Baptistæ Terræ Phocecchij Diœcesf. S. Miniati per liberam resignationem factam ab Adm. R. q. D. Simone de Fanciullacijs vltimo Rectore ipsius Ecclesiæ Adm. R. P. D. Christophoro q. Antonij de Ciccijs Phocecchiensi Canonico Regulari Lateranensi Ordinis S. Augustini, quod propterea à Sanctissimo Domino Nostro Innocen-

tio

tio Diuina Prouidentia Papa X. prouisus fuerit de dicta Parochiali Ecclesia dictus R. D. Christophorus de Ciccijs per literas Apostolicas emanatas pridie Idus Septembris 1648. Pontificatus Sanctiss. Domini Nostri Anno quarto, sub plumbo more Romanæ Curiæ legitimè expeditas ad instantiam dicti D. Christophori de Ciccijs, quibus, & cum literarum supradictarum executioni contrauenerit R. D. Franciscus de Ringherijs de Phocecchio Clericus Miniatensis inter quem, & dictum D. Christophorum versa fuerat lis, & controuersia in Curia Reu. Cam. Apostolicæ super quà lite promulgata fuerit Sententia ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Francisco Maria Baranzono vtriusq; Signaturæ Sanctiss. D. N. Papæ Referendario ad fauorē dicti Christophori, & contra dictum D. Franciscum de Ringherijs circa executionem dictarum literarum Apostolicarum, vt in actis d. Curiæ quibus, &c. & propterea ab Illustriss. & Reuerendiss. D. Prospero Caffarello Prothonot. Apostolico, vtriusque Signaturæ Domini Nostri Papæ Referendario, & Auditore Generali Reu. Cameræ Apostolicæ emanatæ fuerint literæ de immittendo in possessionem dictæ Ecclesiæ Parochialis S. Ioannis Baptistæ Terræ Phocecchij dictum D. Christophorum prouisum ipsius Ecclesiæ vigore dd. literarū Apostolicarum emanatarum, vt supra pridie Idus Septēbris 1648. & per eos ordinatum quibuscunq; personis Notarijs, & tabellionibus, vt immitterent in realem actualem, & corporalem possessionem ipsius Ecclesiæ, & bonorum, & fructuum ipsius d. D. Christophorum de Ciccijs, vt videre est ex dictis literis de die 23. Septembris proximè elapsi 1650. quæ incipiunt. *Prosper Caffarellus Prothonotarius* Apostolicus vtriusque Signaturæ Sanctiss. D. N. PP. Referendarius, necnon Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditor, Romanæque Curiæ Iudex ordinarius, sententiarum quoque, & Causarum, tam in eadem Romana Curia, quam extra eam latarum, ac literarum Apostolicarum quarumcunque generalis, & merus executor, & finiunt. Dat. Romæ ex ædibus nostris Anno Domini 1650. indict. 3. die verò 23. Septembris Pontificatus Innocentij X. Anno eius septimo. Franciscus Belgius Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Notarius. Franciscus Maria Baranzonus. *Monitorium de immittendo vigore sententiæ.* Qui D. Christophorus volens dictam possessionem accipere, & non potens personaliter interesse cum Romæ moretur, fecerit propterea ad talem effectum suum verum, & legitimum Procuratorem R. D. Petrum de Ciccijs Phoccensem Clericum Miniatensem eius patruum, vt apparet ex mandato rogato manu D. Francisci Iacobi Belgij Notarij Reuer. Cameræ Apostolicæ de die 8. Octobris 1650. ad quod, &c. collecto in Archiuio publico Florentino die 17. Octobris currentis, vt in calce dicti mandati, cui &c. & ad effectum dictæ possessionis præfatus D. Christophorus obtinuerit ab Illustrissimo D. Alexandro Victorio Senatore Florentino, & Auditore Serenissimi D. M. Ducis Hetruriæ licentiam dictæ possessionis de die 17. Octobris stantis a dicto Illustrissimo Auditore subscriptam, prout etiam a dicto Iacobo Quaratesis ministro in scriptorio censuum DD Capitaneorum partis Guelfiæ Ciuitatis Florentiæ, ad quam &c. qui d. Procurator nomine dicti Christophori de Ciccijs sui principalis constitutus in præsentia mei Notarij, & testium supradictorum obtulit, & præsentauit mihi dictas literas Apostolicas, mandatum, & licentiam supradictam, & requisiuit me, vt eum tanquam Procuratorem, vt supra &c. vigore dictæ prouisionis, & literarum prædictarum desuper expeditarum immitterem in realem, actualem, & corporalem possessionem dictæ Ecclesiæ,

cuius

cuius petitioni, & requisitioni veluti iustæ annuens Ego Ioannes de Galleris Notarius publicus Florentinus ipsum D. Petrum Procuratorem, vt supradicti Christophori sic prouisi manu, dextera apprehensum ad Altare maius dictæ Ecclesiæ deducens, crucem ab eo deosculari faciens, candelabra, & alia dicti Altaris in eius manibus ponens, & deinde in Sacristiam ingrediens, & paramenta dictæ Ecclesiæ in eius manibus ponens, & per Ecclesiam secum deambulans, ostia illius ab eo aperiri, & claudi faciens, deinde extra portam dictæ Ecclesiæ secum progrediens, glebas, & herbas Cimiterij dictæ Ecclesiæ in eius manibus ponens, & ex dictis bonis in dictam Ecclesiam ingrediens, campanas pulsando, Te Deum laudamus canendo, & alia facendo in præmissis necessaria requisita, & opportuna præfatum D. Procuratorem nomine dicti D. Christophori sui Principalis vigore earundem literarum in corporalem, realem, & actualem possessionem dictæ Ecclesiæ, bonorumque, & iurium, & pertinentiarum vniuersarum illius posui, & immisi nemine contradicente, qui quidem D. Petrus Procurator vt supra eiusmodi possessionem accepit, & protestatus fuit, se non tantum corpore verum & animo possidere, super quibus, &c. rogan, &c.

Locus ✠ Signi

Ego Ioannes Valerij de Galleris de Phocecchio Notarius publicus Florentinus de prædictis rogatus in fidem manu propria me subscripsi, & signum mei Notariatus in margine apposui, &c. ad laudem Dei, &c.

Nos Vexillifer, & Antiani repræsentantes publicā Phocecchij Communitatem fidem facimus, & publicè attestamur, supradictum D. Ioannem Valeri de Galleris de supradicto Instrumento rogatum fuisse, & esse publicum, & legalem Notarium Florentinum, cuius scripturis publicis semper adhibita fuit, & de præsenti plena, & indubitata fides adhibetur in iudicio, & extra, in quorum fidem mandauimus has præsentes nostras a nostro Cancellario subscribi, nostrique soliti Sigilli impress, muniri, &c. In quorum, &c. Datum Phocecchij ex nostra solita Cancellaria die 19. Octobris 1650.

Andreas Fabrius Cancellarius in fid. &c.

Locus ✠ Sigilli.

